

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0065

0063

0069

0059

0074

0054

0114

0014

0164

0564

1064

Ende

Anfang

54

dicunt, quod de hoc loco Elias in curru igneo raptus sit in coelum; sed hoc non bene concordat 4. Reg. 2. Raptus enim fuit trans Jordanem. Huic ecclesiae fuit quondam annexum monasterium, in quo S. Zozima abbas praeerat multis monachis, et juxta monasterium erat hospitale pro peregrinis, in quo mansit prima nocte Maria Egyptiaca, quando de Jerusalem descendit, ut in desertum trans Jordanem pergeret. In hanc ecclesiam venit S. Maria Egyptiaca quinta feria in epiphan. Domini de deserto, et in ea eucharistiae sacramentum a beato Zozima accepit, et tam veniendo (B) de deserto, quam redeundo in desertum transivit Jordanem sicco pede. Olim siebat magnum festum in hac ecclesia in die epiphaniae, quando adhuc erant aurea tempora. Nam patriarcha hierosolymitanus et episcopus bethlehemitanus cum abbatibus, monachis, clero et populo descendebant huc, et Officio hic celebrato omnes simul cum vexillis [et] crucibus descendebant ad Jordanem, et juxta flumen sanctum psallebant. Abbas vero monasterii S. Johannis crucem, quam portabat, in aquam intinxit, qua intincta omnes infirmi, qui aderant, in flumen se ipsos injiciebant et sanabantur. Sani vero se devote baptizabant et robustiores reddebantur. Haec autem miracula creduntur ibi facta, non tam propter sanctitatem fluminis, quam propter observantiam religionis, tam in communibus Christianis, quam in monachis et religiosis. Officiis finitis singuli redierunt ad propria. Adhaeret huic deserto beati Jeronymi vasta solitudo, et postea mare mortuum, et supra id montes Engaddi, de quibus omnibus venit dicendum sub die XI. Augusti, fol. 242.

De sancto loco Galgalae et de ejus dignitate.

Cum ergo bene fuissemus refrigerati in ecclesia S. Johannis, iterum asinos adscendimus et cum festinantia processimus et in locum collibus arenosis elevatum venimus, per medium autem duorum monticulorum via regia erat. De quibus monticulis quidam mihi dixit, quod unus esset Garizim, alter Hebal, montes benedictionis et maledictionis, de quibus habetur Deuteronomio 27.,

